JOHANNIS OLEARII

SS. Theologiæ Doctoris, & antehac Græcarum, nunc Sacrarum Literarum Professoris Ordinarii,

De

FRUSTRA JACTATO REFORMATORUM CUM GRÆGIS CONSENSU

ORATIO,

IN ACADEMIA LIPSIENSI

Anno cIɔ Iɔc LXXVII. Sexto Idus Novembris

Habita,

Cum munus Professionis Theologicæ inchoaret publice.

Præter PROGRAMMA Invitatorium

H. GROTIO *CONSENSUM GRÆCORUM CUM ECCLESIA ROMANA* defendenti

oppositum,

Accedunt in fine TRES ejusdem argumenti EPISTOLÆ à Viro qvodam eruditissimo ad Autorem perscriptæ,

una cum

Appendice Textuum Græcorum in Oratione latine adductorum.

FRANCOFURTHI ac LIPSIÆ

Impensis DAVIDIS FLEISCHERI,

Anno 1680.

Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

Clarissimo
& Rerum Græcarum Doctissimo VIRO

DN. HENRICO HILARIO,

Rectori qvondam Cellerfeldensi longe dexterrimo, nunc liberæ Civitatis Imperialis Goslariensis

Civi Spectatissimo,
Fautori & Amico suo æstimatissimo,
S. P. D.


JOHANNES OLEARIUS D.

Amplissime atqve Clarissime VIR,

LAtebras, non lucem affectabat hæc de *falsò jactato Reformatorum cum Græcis Consensu* Oratio, officii lege extorta, non ad ostentationem composita: imò jam tenebris æternis addicta privatos intra parietes toto propemodum sesqvianno latitârat, cum ejus habendæ desiderio, ex lectione Programmatis inauguralis, à communi Amico, DAUMIO nostro, transmissi, te non parum accensum fuisse scriberes, qvin & alios Viros doctissimos esse significares, qvi legere cuperent, qvæ non audivissent. Qvamvis autem, qvæ me tum male habebat febris inclementia, & negotiorum ex officiis publicis in me irruentium concatenata series à sententiæ mutatione animum meum eo tempore adhuc procul avocarent, indeqve humanissimis tuis provocatus ego, qvem nullo beneficio, nec ulla prius amicitia cognitum habebas, rescriberem, nondum imperare mihi posse chartarum jam pridem sepositarum publicationem, partim qvod à vulgandis hujus generis Orationibus Nostri Homines ferè abstinere solerent, partim qvod iste mihi non tanti videretur sermo meus, qvanti nunc eum videri aliis intelligerem; tuis tamen blandissimis precibus, ac iterata solicitatione tandem victus vela ventis permittere, ac in ejus promulgationem consentire cœpi, non qvod meis putarem carere

orbem eruditum non posse, sed, qvod Laborem meum, in argumento minus vulgari aut inutili, occupasse tibi potissimum viderer. Cui eo facilius morem gerendum esse duxi, qvod scirem, non destitui Lectoribus ea solere, qvibus, Ecclesiarum inter se qvalis qvantaqve esse possit aut debeat communio, & mutua animorum in fide ac religione concordia, detegitur: nec ignorarem, Reformatos in Gallia, Anglia, Belgio, ac in vicinis Regionibus, Unionem ac Societatem Ecclesiasticam cum Nostris aliqvoties postulasse, & hanc eo majori jure à nobis exigi posse, sibi persvasum habere, si passim ille prædicatus cum Ecclesiis Orientalibus in articulis maxime controversis consensus firmo talo consisteret. Ut ergo falsis Fratribus & hæc via in ovile nostrum irruendi, aut nos in castra sua pertrahendi præcluderetur, ac indies latius serpenti valde præpostero ac nimis intempestivo cum iisdem pacis studio, utpote sine salvificæ veritatis jactura nunqvam perficiendo, fibula qvædam injiceretur, firmo animi proposito, fortiorem abs te stimulum expertus, constitui dare oculis universorum, qvæ jam auribus multorum essent excepta publice. Hinc paginas non ab arte aut veneribus, qvarum causas procul habui, solo forte argumento commendandas recensui, & brevibus ad marginem factis Autorum, qvorum hic usus mihi fuit, annotationibus descripsi, ut una cum programmate jam olim juris publici facto exhiberi typographo possent. Spero autem non ægre abs te latum iri, si, qvod exigebat officii ratio, & mens à primo cognitionis tui momento gestiebat, fœtum hunc tibi non satis maturum suscipiendum offeram, ad cujus editionem solus tam potentem attulisti manum. Nec dubito, hoc ipso gratiorem futurum esse Amicis reliqvis, ad qvos uterqve mittemus, ubi non modo nomen tuum, qvod præclara qvæ in Te doctrina est, & admiranda rerum Græcarum peritia, Orbi erudito commendatissimum reddidit, illi præscriptum, sed & Trifolio Epistolarum tuarum doctissimarum, in hoc negotio ad me perscriptarum, eundem stipatum atqve exornatum esse perviderint. Vale Φίλων πειστόθητε, &, ut hæc inscriptio mea, vel tibi, qvanti te, vel aliis, qvanti æstimem amicitiam tuam, vel potius tibi pariter atqve aliis, qvam tu mihi charus sis, qvam ego vicissim tibi, sit argumento, patere. Scribeb. Lipsiæ die 10. Maji, Anno 1680.

Rector



Rector Academiæ Magnifice, Patres utriusque Reip: Conscripti, Viri nobilitate generis, magnifica autoritate, maxime reverenda amplitudine, scientia juris summa, medendi peritia singulari, bonarum artium & philosophiæ accuratissima cognitione longe celeberrimi; Patroni, Fautores, Collegæ, Amici, Affines, atque Compatres longe honoratissimi: Tuque nobilissima florentissimaque Studiosorum concio ad Dei laudem, Ecclesiæ ac Reipublicæ salutem propriumque decus nata!

SExtus & qvadragesimus nunc volvitur annus, ex quo *Cyrillus Lucaris*, primum Rector Scholæ Ruthenorum Ostrogensis, inq; ea Lingvæ Græcæ Professor, postea Exarchus, Archimandrita, & Alexandrinus tandemqve Constantinopolitanus Patriarcha, suo & Ecclesiæ Orientalis nomine Confessionem fidei tam Latine qvam Græce edidit cum præcipuis Calvini placitis sic ad amussim consentientem, ut ex illius Christianæ religionis Institutione descripta videri posset. Ambabus eam manibus, ceu Apollinis oraculum exceperunt, & mox Genevæ *a*) excusam ubiq; per Germaniam & Galliam divulgarunt, qvi receptæ hactenus Zvinglianorum Sacramentariæ, & Prædestinatoriæ Calvinistarum hæresi adstipulati sunt, hanc fidem suam in Ecclesia Lutherana tantopere exosam, illam ipsam esse jactitantes atque gloriantes, qvam tot retro seculis, & in Græcia & in Oriente, qva qva versum Christianum nomen patet, tot populi gentesque unanimi tenuerint consensu. Præprimis novum hunc fœtū lambere, eumqve ceu authenticum commendare, qvin & Scripturæ atq; Patrum testimoniis suffultum exhibere nobis voluit *Johannes Henricus Hottingerus b*) Vir orientaliū lingvarum & historiarum peritissimus: cui jure meritoqve suo hic accensemus eruditione summa perqvam illustrem *Johannem Hornbecki-*

A

a) ap. Jo. Tornæsium 1633.
b) in Ennead. disp. IX. p. 198. it. in Analect. Append. dis. IIX. p. 398. sqq.

beckium, qvi & à Cyrillo Lucari consensum cum Reformatis Ecclesiis, earumq; doctrina plenissime perfectum fuisse scribit c), & illius cum Calvino in religionis articulis præcipuis concordiam passim insinuat. Mitto nunc plures alios è Calvinianorum schola Viros magni nominis, *Rivetos, Heidanos, Legeros, Rousselios*, qvi qvod ægre prius ferebant, probri loco, & in argumentum falsorum suorum dogmatum ubilibet objici: *admodum* scilicet *paucos eos, qui sic sentirent, esse*; per Confessionem Cyrilli Lucaris Græcæ atq; Orientalis Ecclesiæ nomine inscriptam, hac se criminatione solutos credebant, cum tot consentientes fideiqve suæ participes numerare possent. Ita miriones Calviniani hos cibos ex stomachi sui vitio æstimantes! Cæteri, qvorum αἰσθητήρια γεγυμνασμένα, & qvi, qvid distent æra lupinis, longo comperti erant usu, facile viderunt, σοφὸν esse φάρμακον, qvo laboranti causæ subsidium qværeretur, in qvo tamen ὐδὲν ὑγιές. Mirati potius sunt, qvi factum esset, ut Ecclesiæ Græcæ, qvarum nomine edebatur illa Confessio, tam subito à majorum suorum fide descivissent, inqve castra Calvini atqve Zvvinglii se recepissent. Qvamvis autem neq; Græcorum, neq; etiam, si ita placuerit, Muhammedanorum atq; Judæorum cum Calvino consensus, qvalem Nostrates jam pridem observarunt, bonitati causæ nostræ qvicqvam officiat, cum simus persvasissimi, canonicũ unius Scripturæ Sacræ, eiqve superstructum defæcatioris Antiqvitatis consensum Ecclesiasticum potiorem esse omni totius terrarum orbis consensu; qvia tamen nulla nos necessitas cogit, ut vel latum unqvem nudæ atq; simplicis veritatis limites loco moveri patiamur, haud inane fuerit operæ pretium, si nubeculas, qvibus coruscum veritatis Solem obfuscare adversarii student, discutere, & veritatem sua vestitam luce in apricum protrahere cathedræ nostræ allaborent. Cum enim in vulgus notum sit, primarios Ecclesiæ Reformatæ Theologos, qvorum aliqvos ante nominavimus, hanc ipsam Cyrilli Lucaris Confessionem, Remonstrantium non modo atq; Romanensium cœtibus, sed & nostris Ecclesiis, veluti aliqvod μορμολυκεῖον ac Medusæum caput objicere, nobis qvi à parte Lutheranorum stamus, æqve necessarium esse videtur, fidei nostræ addictis hominibus ad oculum demonstrare, qvam nihil id genus Homines causæ habeant, ut adeo magna sibi ex hac confessione polliceantur, nedum tantopere illum suum cum Græcis Ecclesiis consensum contra nos jactitent. Postqvam igitur Dei & *Serenissimorum Principum* nutu factum est non ita pridem, ut aliis rebus occupatum sacratissima Theologia totum me sibi asse-

c) Summ. Controv. p. 975. 984. 985.

asséreret, & injecta qvasi manu vindicaret, constitui hodie sub muneris Theologici initium, qvod Deus T. O. M. felix faustumq; esse jubeat Oratione publica FALSO JACTATUM REFORMATORUM CUM GRÆCIS IN RELIGIONE CONSENSUM splendidissimo huic consessui ob oculos ponere. Qvo qvidem in negotio ita versabor, ut non tantum omnem argumentorum cerussam, qva pictum fictumqve hunc suum cum Græcis consensum volunt, abstergã, sed & simul admota veritatis face, genuinam Ecclesiæ Græcæ faciem, in dogmate *Prædestinationis* atq; *Sacræ Cœnæ* cumprimis, Reformatorum doctrinæ prorsus adversam esse ostendam, judicium omne vobis, Sapientissimi Viri, relicturus: in qvo ne aut libertati vestræ insidias struere, aut veritati caliginem obducere voluisse videar, profiteor me nullis usurum esse nec lenociniis verborum, nec machinis affectuum. Qvod dum facio, à vobis, *Rector Academiæ Magnifice, Auditores omnium ordinum atq; dignitatum splendidissimi, honoratissimi, amantissimi*, qva decet reverentia ac submissione animi id unice peto, ut in causa tam bona, qvam acturum esse me dixi, Græcæ antehac Lingvæ, jam vero novum Theologiæ Professorem patiamini esse minime facundum.

Anteqvàm Acropoli hujus causæ, qvæ est Cyrilli Lucaris Confessio, expugnandæ me accingo, propugnacula qvædam ab adversariis hic extrui solita subrui à me prius arbitror oportere. Sunt hæc, si omnia, qvæ causæ suæ præstruere hinc inde solent, in unum colligamus: *commune Græcorum in Reformatos, & horum vicissim in Græcas Ecclesias studium: Reformatorum impigra in promovendo Græcorum adse accessu sollicitudo: Unionis cum Græcis necessitas atqve facilitas summa.* Qvantum momenti singula hæc machinamenta ad præsens negotium afferant, qva fieri potest brevitate, nunc dispiciendum. Et *primo* qvidem diffiteri non possumus, sarciendæ & sanciendæ concordiæ Græcos æqve cum Reformatis atqve Reformatos cum Græcis gnavam non semel impendisse operam. Loqvuntur hoc crebræ inter illos tractationes, testantur acta & scripta publica communem contra Pontificios causam defendentia. Novimus *d*) anno superioris seculi XCV. legationem ab Ecclesia Græca ad Synodum Unitorum (ita vocabantur tum male inter sese copulati Lutherani, Helvetii, & Bohemi) Thoruniensem in Polonia pro unione impetranda venisse. Destinata hæc fuit legatio ab illustrissimo Domino *Constantino* Duce ab Ostrogavia, Palatino Kijoviensi Græcæ religioni addicto, & per Dominum Casparem Lutzkovium expedita. Novimus etiam in conventu Vilnæ Polonorum

d) Hoornbeb. Summ. Contr. L. XI. de Græc. p. 980. 982. 983.

anno XCIX. habito, eosdem Unitos in literis ad Alexandrinæ atq; Byzantinæ sedis Antistites datis summopere expetivisse, ut data occasione secum de religionis negotio agere, ac rationem, qva cœtus Reformati Græcis Ecclesiis per sanctam in Jesu Christo consensionem sociari possent, collatis sententiis, inire vellent. Qvam vero in Ecclesias, non Pontificias, sed Reformatas propensus fuerit *Meletius*, Alexandriæ primum, tum Constantinopoleos Patriarcha, Vir in lingvis Hebræa, Syra, Arabica, & Theologica cognitione doctissimus, ostendit ipse literis ad *Hypatium Pociej* Russiæ Primatem, nec non *Sigismundum* III. Poloniæ Regem, super negotio unionis cum Ecclesia R. à subditis qvibusdam Russo-Græcis initæ, perscriptis. Idem *Meletius*, cum impostores aliqvi Græci, ficto nomine Patriarchæ Alexandrini *Gabrielis*, confessionem Romæ ad placitum Papæ edidissent, qvàm, audito hoc negotio, valde infremuerit, tale qvid se inscio de Alexandrinis ab hujusmodi confessione alienissimis spargi, ex Thuano (e & plenius è literis junioris Douzæ ad Janum Patrem cognoscere licet. Nec minus hoc seculo *Cyrillus Lucaris* adhuc γυμνάσιαρχος ἑλλην. Alexandrinæ sedis Patriarcha cum Reformatis hoc saxum contra Pontificios strenue volvit; Id qvod ex gemina epistola, una ad *Utenbogardum* Hagiæ-Comitahum in Belgio Verbi divini ministrum, altera ad Cantuariensem in Anglia Archiepiscopum *Georgium Abbotum* scripta elucet e). Qvæ omnia non alio fine jam commemoro, qvam ut inde mecum intelligatis, *Auditores*, concordiam inter Græcos & Reformatos à tempore Reformationis non fuisse. Qvæ enim sanciri pax, qvi consensus demum institui debuit, eum prius non extitisse necesse est. Deinde non video, qvid hic Reformati reperiant, in qvo aliis se magnopere anteferre qveant. Ut enim jam taceam, Pontificios non semel cum Græcis conciliationem tentasse, ceu Acta Barensis, Lugdunensis, atq; Florentini Concilii ostendunt: Thoruniensem insuper ac Vilnensem tractationem Lutheranos & Bohemos qvalicunq; unionis vinculo Helvetiis tum copulatos non minus atq; Calvinianos spectasse; Græcos, & cum Ecclesiis Fratrum in Bohemia ante reformationem, & post eam cum Lutheranis, fidei communionem aliqvoties postulasse in propatulo est. De Bohemis valde sollicite ac diligenter per varias terrarum regiones, in Occidente non solum, sed & in Oriente apud Græcos fidelium cœtus Papatui secum reclamantium investigantibus,

e) Hist. Lib. CXIV. Tom. III. p. 703. edit. Francof. 1658. e) Utraq; legitur in Epistolis Ecclesiasticis & Theologorum excellent. & clar. Virorum p. 399.

bus, testem locupletem habemus Camerarium *f*). Eosdem Ecclesia Byzantina triennio ante captam urbem, ad unionem secum ineundam, per Epistolam ex Bibliotheca Pragensi Carolina variis in scriptis exhibitam *g*) excitasse legitur. Ad Lutheranos autem, qvomodò seculi superioris nono & qvinqvagesimo anno *Josephus* Patriarcha Constantinopoleos *Demetrium* Thessalonicensem Ecclesiæ suæ Diaconum Wittebergam miserit, qvi in doctrinam & Ecclesias nostras inqvireret, neqve Calvinianis ignotum esse potest. Substitit Wittebergæ *Demetrius* per integrum semestre spatium, indeq; ad suos reversus Confessionem Augustanam per *Paulum Dolscium* Medicum & Consulem Hallensem Græco idiomate versam ad Patriarcham suum retulit. Josephum hunc in Patriarchatu secutus est *Jeremias*, Vir juxta doctus & humanus, qvo cum Tubingenses, ἐργοδιώκτοις *Stephano Gerlachio* & *Martino Crusio* literarum commercium & epistolarem super articulis fidei præcipuis concertationem instituerunt. Omnia Tubingensium Acta à Socolovii, Lindani, & Fikleri criminationibus vindicata Græce & Latine Wittebergæ postea sunt edita *i*). Uti autem ex communi hoc Lutheranorum in Græcos & horum vicissim in illos studio frustra nobis tribues plenum in religione cum Græcis consensum, ita Calvinianos temere qvoddam causæ suæ præsidium in hujusmodi concordiam sanciendi sive conatibus sive studiis qværere existimo.

In *Altero* munimento subruendo, qvod *curam & sollicitudinem in [illegible] Græcis* esse diximus, non est cur multum laboremus, cum ipsi Reformati hic suum non possint non simul incusare torporem & negligentiam. *Hornbeekius k*) sane, qvo, inter Reformatos, nemo majorem operam, ad exteras & remotas gentes convertendas, juvandas, suisq; propius conciliandas impendisse visus est, utut Præpotentum Belgii Ordinum in hanc rem non ita pridem demonstratum valde commendet studium, qvando suis sumtibus Novi Testam. Libros & Catechismum, qvo Reformati utuntur, â Græcis in vulgarem ipsorum hodie freqventatum μιξοβαρβάρῳ sermonem converti curarunt; non pauca tamen in illo aucupandi Græcos negotio adhuc desiderat, nempe *ut certior uberiorq; contingat notitia præsentis status Ecclesiarum Græcarum sive per literas, sive per*

A 3 ex-

f) In Historica Narrat. de Ecclesiis Fratrum in Bohemia p. 91. 92. *g*) extat hæc Epist. in Flacii Catal. Test. verit. p. 495. edit. Argent. 1562. & p. 728. edit. 1666. Chytræum de statu Eccles. Græc. edit. Francof. 1583. p. 261. Allatium lib. 3 Cons. c. 4. p. 947. *h*) vide Hoornbekium l. c. p. 978. *i*) anno 1584. De his etiam Thuanus Histor. lib. LXXIII. a. 1581. videri potest. *k*) Summ. Controv. p. 988.

exploratores commiſſos: Deinde *ut ſeminaria erigantur, in quibus à Græcis huc ablegati non modo in aliis doctrinis, ſed & in religione præcipue Reformata uberius inſtruantur*: Deniq; *ut continua cum illis*, ceu loqui amat, *correſpondentia per Epiſtolas æque ac Legatos Eccleſiaſticos exerceatur, deq; propius hiſce uniendis prudens atq; ſanctius conſilium ineatur l).* Eant ergo qvi ſunt de Grege Reformatorum, & ex conſilio ſui Hornbeckii, per Legatos, Apocriſiarios Veteribus dictos, per literas Encyclicas, circulares, catholicas, communicatorias, & formatas, qvarum commercio Eccleſias per totum orbem in una communionis ſocietate concordare potuiſſe jam olim *Optatus Milevitanus* dixit, de ſtatu omnium in mundo Eccleſiarum, de rebus fidei & religionis, ut ſe ubiq; habent, certiores fiant. Cur enim ipſi, lucis nempe filii, prudentia tenebrarum filiis Pontificiis, minores eſſe velint; apud qvos nihil uſpiam geri norunt, qvod non per admirandos Emiſſariorum & Apocriſiorum Papalium cuniculos & anfractus, in aulam Romanam confeſtim deferatur, & per monachos Provincialibus, per hos ad Patrem Generalem, ab hoc ad Cardinales & Papam qvotidiano curſu remigret ac devolvatur. Eant inqvam, & ne Roma in hoc ſe diutius extollat, ad exemplum *Gregorii* XIII. P. M. effuſiſſimis ſumtibus ampliſſima hinc inde collegia & ſeminaria erigant *m*), ad qvæ non ex Græca tantum, ſed cæteris qvoq; Orientis Nationibus pueri ac adoleſcentes *juniores*, qvibus iſtæ cupediæ Zwinglio-Calvinianæ ſapiunt, blanda vi pertrahantur: qvos ſuis deinde dogmatibus probe imbutos, partim in patriam, ad inſtillandam popularium mentibus Calvinianam religionem remeare, partim miſeris nobis Lutheranis (ſi Diis placet!) perſvadere jubeant, qvod, qvi DEum agnoſcit orbis, Fidei Calvinianæ maximam partem ſuffragetur: Neq; etiam, ſi è re ſua eſſe videatur, fraudibus parcant, ut, dum vera deſunt, Orientalium legationes miras & magnas ad ſe venire fingant atqve mentiantur: ad qvod non unum Romanorum exemplum (qvos adeo imitandos ſibi in illa Græcos ad ſe allectandi cura eſſe ſentiunt) excitare poterat. De Japonenſium & Africanorum Regulorum legationibus Jeſuitica fraude confictis pleni ſunt hiſtoricorum libri. Sic in Concilium Tridentinum magna pompa introductum olim norunt Chaldæorum larvatum legatum *Abdieſum.* Sed caveant, ne, dum alios his artibus fallere ſtudent, fallantur

&

l) ib. p. 987.

m) In Literis ad Geraſimum Patriarcham Alexandr. ab Anth. Sigero D. Gebennenſi, & Cornelio Hagio Hollandorum Oratore conſcriptis, Collegiorum erectio, in qvibus alumni Græci Hollandorum impenſis, alerentur & erudirentur; promittitur, ſi modo unionem cum Calvinianis idem admittere vellet. vide L. Allatium de Eccl. Or. & Occ. P. C. c. 3. c. 8. n. 4. p. 1013.

& ipsi aliqvando ab ejusmodi circumcellionibus, qvi tali aucupio vanam Romanorum ambitionem (qvam æmulantur hic Reformati) deludere, & magna mercede sua ipsis mendacia vendere sciverunt, Id qvod, Thuano n) memorante, factum inter alia tempore *Clementis* VIII. qvando magnifica Ecclesiæ Alexandrinæ ad Romanum P. visa venire legatio à *Gabriele* Patriarcha, Ægyptiorum & Æthiopum primatum ac fidem R. Ecclesiæ agnoscentium nomine, confessionem illustrem μετὰ πολλῆς φαντασίας exhibens. Sed fraus erat *Bartonis* cujusdam, nullo Gabriele Alexandriæ tunc sedem Patriarchalem occupante: qvod Baronius o) nimis prodigiosus auctarii hujus Ægyptiaci & Æthiopici Encomiastes ex aliis fidei suæ sociis, Thoma à Jesu p) cumprimis, discere potuisset. Sic tota illa Calvinianorum pro agglutinandis sibi *Græcis* cura & sollicitudo, ex vana Romanensium æmulatione, Orientales qva vi qvave injuria secum combinantium orta, necuspiam nisi in unius aut alterius cerebello conspicua, in ventos atq; fumos abit; imo dum montes parturire videtur, vix murem ridiculum ex se progignit, qvi est de Græcis propius uniendis prudens ac sanctius consilium propediem scilicet ineundum. Prius ergo tale Reformatos inire oportet consilium, qvam nobis suum cum Græcis consensum jactitent. Nempe, apud id genus homines αἶξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματι παίζει. De cætero néc à nobis in pio & sancto Lutheranorum cœtu degentibus, pro convertendis Græcis, qvoties occasio sese offerret, omnis plane cura abfuit. Hoc enim consilio interpretatio Græca Confessionis Augustanæ primum à Melanchthone q) per *Demetrium Thessalonicensem*, deinde à Theologis Tubingensibus per *Stephanum Gerlachium* oratoris Cæsarei ad portam Ottomannicam Generosissimi Domini Davidis Ungnadi Concionatorem, post continuum literarum commercium, de qvo Acta publica r) testantur, Constantinopolin transmissa est: Hoc consilio præter *Gerlachium* atque *Salomonem Sveicerum* alii qvoqve juvenes pietate, doctrina, modestia, rerum Theologicarum & lingvarum cognitione præstantissimi ad Græcos Byzantinos ex Academia Tubingensi fuerunt ablegati, qvos ipsi græce concionantes, sibiqve de pietate, de omnibus fidei ortho-

n) Hist. l. CXIV. ad an. 1595. Tomi III. p. 703. o) in Corollario Tomi VI. Annal. p. 707. sqq. p) de Convers. Gent. l. 7. c. 7. p. 364. Adde Hottingerum Hist. Eccl. P. V. p. 85. sqq. q) de qvo ipse Melanchthon in qvadam ad Bordingum Epist. Basil. 1566. edita. r) Græce & Latine Witeb. Anno 1584. excusa.

orthodoxæ capitibus, de Scholis, de Ecclesiis, earumqve Doctoribus, qvin & toto regionum nostrarum in religione statu loqventes coram audire possent r). Neo illo fine Compendium Theologiæ *Jacobi Heerbrandi à Martino Crusio* in Græcam lingvam conversum, iidem ad Jeremiam Patriarcham perferri curarunt, ad hunc unice scopum respicientes, ut grato Christi odore in Orientem usqve diffuso, si non omnium, saltem aliqvot cæcutientium Græcorum oculi hoc modo & medio, per gratiosam Spiritus Sancti operationem aperirentur, ipsiqve, erroribus pristinis abjectis, per veritatem agnitam, alios qvoqve plures ad regnum Christi secum adducerent t). Judicent hinc Auditores, qvos major sollicitudo in allectandis Græcis, ad veræ Ecclesiæ gremium tenuerit, Reformatos an Lutheranos? & numqvid vane illi plenum cum Græcis consensum, ad calendas Græcas scilicet firmandum, inde sibi polliceantur? qvem hi tamen, idem saxum volventes, ne per somnium qvidem ullo tempore hic invenire potuerunt.

Qvid jam de unionis Calvinistico-Græcanicæ sive *Dignitate*, sive *Necessitate* cum summa *Facilitate* conjuncta dicam, qvæ *tertium* in hac causa propugnaculum esse videtur? De Dignitate qvidem Hornbeekium s) ita differentem audio: *In Colloqvio Vilnensi nostri dicebant, consensum cum Græcis pari ratione stabiliendum esse, ac cum hominibus Augustanæ Confessionis in Conventu Sendomiriæ ac Thorunii celebrato; qvos, etsi in qvibusdam à nobis discedant, toleramus tamen, & pro fratribus agnoscimus. Illud autem, si obtineri contingeret, quantam, bone Deus! illis Ecclesiis salutem, nostris solamen, & contra hostes omnes robur ac gloriam, cælo denique ipsi gaudium conciliaret!* Velim hic primo Hornbeekium cum fidei suæ sociis in eodem Colloqvio congregatis ex Græcis qværere t): *Utrum & illi ejusdem sint in se affectus, talemqve σοζυγίαν esse bonam, gloriæ Dei, incremento Ecclesiæ ejus, communi solatio, ac paci adversus hostes inservire intelligant? & utrum eam æqve ac Reformati exoptent?* Valde vereor, ne idem responsum ferat, qvod *Theodorus Balsamon*, Patriarcha Antiochenus, Marco Alexandrino, de Latinis, num ad Eucharistiæ communionem admittendi sint, qværenti, dedisse dicitur: *Qui non est mecum, contra me est, inqvit divinum Evangelium, & qui non colligit mecum, dispergit. Qvoniam igitur ante annos multos, Occidentalis Ecclesiæ conventus ad mores institutaqve divertit, ab Orthodoxis & Catholica Ecclesia*

r) vide Steph. in Gerlachium in Diar. Germ. 1674. edito & Hassenresserum in Orat. funebr. p. 29. 30. t) videantur Tubingenses in præfat. Actorum cum Jeremia Patriarcha C. P. s) Summ. Controv. p. 986.

clesia aliena, non debet Latinorum genus manu sacerdotali per divina & immaculata mysteria sanctificari, nisi deponat prius se à Latinis institutis & consuetudinib9 abstinuerunt & secundum canones instructum, & orthodoxis adæquatum fuerit. Deinde cujusvis cordatioris conscientiam appello, qvomodo hæc bona, augusta, nomini divino gloriosa, & Ecclesiæ salutaris pax dici aut haberi possit, qvæ similis esse jubetur Sendomiriensi, atqve Thoruniensi Augustanorum cum Bohemis & Helvetiis consensui? qvem tamen consensum *u*) solido veritatis fundamento destitutum, ob latentem ibi Philippismum, & meris verborum cothurnis incrustatum Zvvinglianismum, tandem in dissensum abiisse, & à Confessioni Augustanæ sincere addictis Hominibus per Poloniam & Lithuaniam constanter hactenus repudiatum fuisse novimus. Annon vero hoc mentis vertiginem arguit in Homine, qvi sapere sibi videtur, & opinione veritatis de religione sua, qvamvis heterodoxa, turgidus incedit; & nihilominus cum iis tanqvam fratribus in Christo dilectis uniri, & fœdus pangere satagit, à qvorum hæresi omnis in Christo fraternitas abhorret, veluti *Serapion* Antiochenus de Cataphrygum hæresi loqvitur? Videat Hornbeekius, ne qvam reprehensionis notam alias Remonstrantibus, communionem promiscue omnibus sectis offerentibus, inurit, *x*) ipse hoc intempestivo suo communionis cum Græca gente studio incurrat. Qvanto rectius *Tubingenses*, Compendium Heerbrandi Græcum ad Græcos missuri, in epistola ad Patriarcham scribunt *y*): *Neminis libellum istum continere damnationem, nisi ejus, qvi Christo repugnet, ac supra sacras literas, Christum & veritatem sapere velit.* Qvo ipso, in præfatione damnare se dicunt omnes, qvotqvot veritati cœlesti, qvam ipsi profitentur, contradicunt, sive Orientales illi sint, sive Occidentales. Iidem calumniæ *Stanislai Sokolovii*; qva ipsos receptionem in Orientalis Ecclesiæ communionem à Patriarcha Constantinopolitano studiose petiisse criminabatur, mascule se verbis opponunt istis: *Pura puta sunt Poloni mendacia ab ipso ad prægravandas Ecclesias nostras conficta. A sincera scilicet & incorrupta doctrina cœlesti, & religione vera, ad doctrinas & traditiones humanas,* (qvales profitentur Græci) *à veritate ad falsitatem & figmenta, à luce ad tenebras nos recipiemus? Hoc quid magis falsum?* Apage ergo ad Samaricanos, vel ad Alexandri Imperatoris lararium, qvi omnium Sectarum promiscue fieri velis rudem ac indigestam commixtionem. Eant alii, & pa-

 cem

u) vide B. Hutterum in Irenico c. 17. Dn. Calovium in δοκιμασία Spiritus Syncret. Tit. 4. p. 35. seqq. Adde Pareum in Irenico p. 123. 126. & 133.

cem paſſim cum omnibus miſceant, uti de ſui temporis ſectis ac hæreſibus *Tertullianus* loqvi amat: Offerant Arminiani, Calvinianorum qvondam fraterculi, communionem omnibus promiſcue ſic dictis Chriſtianis, imo in hoc ſocietatis ſuæ conſtituant διακριτικόν, & glorientur palam, qvod pacem cum omnibus cupiant; Nobis niſi in Chriſto pax, id eſt, cum ejus verbo, veritate, ſpiritu conveniens, nulla vel æſtimanda videtur vel admittenda. Ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ non ſine cauſa Apoſtolus z) conjunxit. Specioſum qvidem eſt nomen pacis, & pulchra opinio unitatis; ſed qvis ambigat, eam ſolam Eccleſiæ atqve Evangeliorum pacem eſſe, qvæ Chriſti eſt? verba ſunt Pictavienſis Hilarii. *At vero*, pergit Hornbekius * *nobiſcum in pluribus conveniunt, & convenire poſſunt Græci. Siqvidem apud nos obſtacula illa non ſunt, quæ ipſis Romani objiciunt: Nec enim etiam Papatum Romanum oppugnamus, ignem purgatorium, aliaqve quæ ipſi non ferunt: Iterum communionem ſub utraqve cœnæ parte, conjugium Eccleſiaſticorum, uſum lingvæ vulgaris in ſacris, & plura tenemus in quibus ipſorum nobiſcum tum doctrina tum praxis concordant. Unde etiam operis noſtri cum Græcis peragendi major apparet cum neceſſitate facilitas.* Ita cauſam ſuam eleganter pingere ſciunt Reformati. Nos, qvamvis hanc ipſis prærogativam non invidemus, qva major inter ipſos & Græcos, qvàm inter hos & Pontificios convenientia, qvoad non paucos religionis articulos eſſe videtur; varios tamen defectus & errores capitales in partis utriusqve Eccleſiis reſtare videmus, ob qvos ſe mutuo tolerare, aut, qvod majus eſt, ſinceræ charitatis vinculo, juxta canonem Scripturæ, ad unam fidei communionem copulari facile neqveant. Sane uti nos Lutherani cum Reformatis hic pari paſſu ambulamus: Siqvidem *Johannes Zygomalas*, in literis ad Cruſium, aa) non vereatur fateri, *quod in continuis & cauſam fidei præcipue contingentibus articulis conſentiamus*; ita nunqvam inducere in animum potuimus, nulla prorſus ſupereſſe, qvæ conſenſum inter nos & ipſos adhuc multum impediant, aut unionem fidei non valde difficilem reddant. Dicis: *Si quæ adhuc ſupereſt cum difficultate conjuncta differentia, illam in ritibus potiſſimum conſiſtere: ritus vero & conſvetudines in rebus peragendis non ſcindere Eccleſiam, ſed dogmata; ex ipſis etiam Græcis eſſe, qui negent aliunde ſchiſmatis ſufficientes extare cauſas.* Imo vero non ritibus tantum, ſed & dogmatibus diſtare utramqve Eccleſiam, & Reformati optime norunt, ſi noſſe volunt, & res ipſa loqvitur. An ad liturgiam ſive ritus ſpectant, qvæ de mutatione ſtatus poſt mor-

z) Eph. IV, 15. *l. c. p. 975. aa) anno 1576. d. 15. Maji ſcriptis.

mortem infelicis, suffragiis vivorum impetrabili: de traditionum Synodæcarum, & Patrum Ecclesiæqve autoritate infallibili: de fiducia proprii justititiæ ac operum meritis: de septenario Sacramentorum numero: de monopolio Episcopali in electione ministri Ecclesiæ, excluso magistratu civili & plebe: de viribus liberi arbitrii in spiritualibus: de immani elogio vitæ monasticæ, inter Græcos atqve Reformatos hactenus fuerunt ἀκατάλληλα? Non convenit etiam inter illos de confessione auriculari, de sanctorum eorumqve imaginum ac reliqviarum cultu, cui superstitiose addicti sunt Orientales, adversantur autem Reformati; & præposteram istam devotionem in illis non minus qvam Pontificiis reprehendunt. Deniqve doctrinæ suæ de processione Spiritus Sancti à solo Patre, jam inde ab antiqvo tenaciter admodum orientalium Ecclesiæ adhærent, & *Parthenius* ei, cum Synodo à se celebrata, *bb*) ita de novo subscripsit, ut adversariam Cyrilli, erroneam, & ab Ecclesiæ universalis sententia longe remotam judicaverit. Et qvid si ritibus tantum Græci atqve Reformati differrent? differrent tamen: neqve levem hanc, aut obscuram, qvæ in ritibus consistit, sæpe differentiam esse, tum plurium antecedentium, tum nostri etiam seculi probat experientia. Schismata certe non tam ex dogmatum, qvam rituum & regiminis pullulare discrimine, notius est qvam qvod prolixe à me probari debeat. Interim non diffiteor, in ipsa etiam Græcia fuisse, qvibus vel dissidium hoc displicuit, vel, qvi qvantum in iis erat, illud elevare studuerunt. *Qvæ autem* (verba sunt Jo. Zigomalæ in literis ante laudatis) *videntur consensum inter vos & nos impedire, talia sunt, si velit quis, ut facile ea corrigere possit. Gaudium enim in cœlo & super terram erit, si coibit in unitatem utraqve Ecclesia, & idem sentiemus & simul vivemus in omni concordia & pace, secundum DEum & in sinceræ charitatis vinculo.* Sed ita malo nondum medicina paratur. Neqve enim propterea desiit esse dissidium, qvod qvidam, ne esset, vehementer vellent. Volumus & nos pacem cum Reformatis æqve ac Romano-Catholicis. Ecqvis enim tam ab omni pietate & charitate Christiana alienus, ut hanc pacem non exoptare, aut omnibus modis provehere, qvin & vita ac sangvine, si opus fuerit, redimere velit? Nec tamen hactenus post tot vota & molimina grande hoc schisma tolli potuit. Qvæ causa? nulla certe alia nisi qvod adversa

adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat, nobiscum amplecti velint. Et sic operis quoque pacificatorii Reformato-Græcanici corruit cum dignitate conjuncta necessitas atque facilitas.

Jamque adeo ex omnibus, quæ sibi præstruxerant, propugnaculis fugati atque profligati adversarii, ad Acropolin totius causæ, hoc est, ad illam omnium ore celebratam *Cyrilli Lucaris confessionem*, sese recipiunt. Ibi consensum cum Reformatis Ecclesiis, earumque doctrina, plenissime perfectum atque consummatum esse, jactabundo ore clamitant. Nec sane diffiteri possumus hanc ipsam confessionem, in articulis duobus palmariis *de Prædestinatione & Cœna* cum Zvvinglii & Calvini placitis examussim concordare. Non morabimur, Auditores, ipsa Latina confessionis verba, super utroque errore vobis annumerare. Hæresin prædestinatoriam membro tertio confessionis Cyrillus dd) ita edisserit: *Credimus Deum O. M. ante mundi originem suos electos ad gloriam prædestinasse sine respectu ad illorum opera*, (hactenus bene: Idem enim & nos contra Pontificios defendimus. Sed quæ sequuntur heterodoxiam sapiunt.) *nullamque causam impulsivam ad istam electionem aliam esse, nisi beneplacitum & divinam misericordiam: Similiter ante constitutionem mundi reprobasse quos reprobavit, cujus reprobationis, si respexeris absolutum jus DEi, voluntatem DEi; si autem jus ordinatum, justitiam DEi esse causam confitemur.* Quid pro absoluto electionis & reprobationis decreto clarius à Calvino dici potuisset, non video. Pestem autem Sacramentariam in articulo XVII. his verbis ee) promit: *Præsentiam veram, realem Christi Domini confitemur & profitemur, at illam, quam fides nobis offert. Credimus enim, fideles corpus Christi manducare in cœna Domini, non dente materiali terendo, sed animæ sensu hoc percipiendo cum corpus Christi non sit illud, quod oculis in Sacramento sese offert, sed illud, quod spiritualiter fides apprehendit, nobisque præbet: Unde verum est, si credimus, manducamus; si non credimus, omni fructu destituimur.* Non Zvvinglius, credo, pulchrius nobis hanc suam Helenam pingere voluisset. Annon vero sic, dicitis Auditores, Reformati habebunt, de quo sibi gratulentur? numquid non damnum suum jam fortiter ex hoc aheneo muro pugnantes facile pensabunt, nosque propugnaculis jam occupatis denuo exturbabunt? Sed, ὦ Φίλοι, ἀνέρες ἔστε, καὶ ἄλκιμον ἦτορ ἕλεσθε. Nolite timidi & ignavi ad desperationem formidine properare, qvin potius fortes & strenui mecum

dd) in Edit. Amstelrod. an. 1645. p. 15.
ee) p. 39. 40.

tum contra fortunam ſpei inſiſtite. Novi jam dilectus, nova nobis ſuppetunt auxilia, novi, qvibus hunc murum concutiamus, arietes. Et tamen ſeloctus armorum habeatur, nolo nunc iis pugnare, qvæ Pontificii, *Leone Allatio ff)* Ductore, ſuggerunt, dum hanc fidei confesſionem à Calvinianis ſub Cyrilli nomine editam eſſe dictitant. Qvamvis enim primo non pauci noſtratium etiam fuerint, qvi animadvertentes, confesſionem illam, nullius præterqvam Cyrilli nomine adſcripto, latine tantum prodiiſſe, fucum aliqvem aut piam fraudem ea in re ſubesſe ſuſpicarentur: cum tam ingentem in religione Græcorum mutationem, cujus rumor antea nullus ad aures ſuas pervenisſet, in momento qvaſi accidisſe, incredibile prorſus videretur; temporis tamen progresſu, certioribus Conſtantinopoli acceptis nuntiis, & Confesſione illa iterum græce & latine cum auctariis prelo ſubjecta, nulli amplius reperti ſunt, qvi ipſam pro genuino Epiſcopi iſtius fœtu agnoſcere detrectarent. Uti ergo Leonem in illo plane hallucinari, & fruſtra Confesſionem hanc Lucari cum Romanenſibus abjudicare putamus: ita vicisſim in hoc falſi non ſunt, ſed verisſima loqvuntur alii, qvi cum *Jacobo Gaurogg)* Cyrillum Calvinolatram fuisſe contendunt. Oſtendit hanc ejus cum Calvinianis conſpirationem totus rei apparatus. Hauſerat nempe *Cyrillus* Calviniana dogmata, in Tranſylvania primum ſubſiſtens, præeunte *D. Marco Porto,* qvod nec *Hottingerus hh)* ex adverſa militans parte inficiari poteſt, & non ita pridem *Nathanaël* Archiepiſcopus Leucados ſive Sanctæ Mauræ, Germaniam peragrans de Cyrillo familiariter ſibi noto non uni percontanti retulit. Genevæ deinceps aliqvot annos commoratus, indivulſo nexu Calvini ſectatoribus adhæſerat. Olei tandem ſacri *ἐπίατρον*, uti loqvitur *Hottingerus*, libri Theologici addiderunt, qvos ex pia & ſancta liberalitate illuſtrisſ. & Præpotentum Ordinum Belgicorum, patario Viro illuſtri Domino *Cornelio Haga*, ad portam Ottomanicam Belgii fœderati Legato, acceptos accurato ſtudio legit, relegit. Ejus autem non ſolum inclinantis ad Reformatorum partes, ſed apertisſime

ille, si literis *Arsenii* Monachi Græci hominis ad miraculum eruditi *kk*) fides habenda est, cum Calvinisequis clanculum hocce fœdus pepigerit, ut, si, pecuniam ipsis suppeditantibus, ad sedem urbis Regiæ Patriarchalem adspirasset, verum Christianismum, h. e. Calvinismum, fortiter assereret, & autoritate sua in Oriente propageret. Qvomodo jam nobis Hornbeeckius atqve Hottingerus persvadebunt, confessionem, qvam unius hominis, dogmatibus Calvinisticis probe imbuti, qvin & pretio aliorum inducti esse intelligimus, talem doctrinam continere, qvalis in Ecclesiis Græcis aut omni tempore, aut tum demum fuerit recepta? Est sane hoc extra dubitationis aleam positum, non posse nec debere ex singulari hujus aut illius placito, judicium de publica alicujus Ecclesiæ confessione fieri. *Solenne hoc non minus Græcis ac Latinis est,* (ut verba Leonis Allatii *ll*) hic mea faciam,) *singularium hominum, etsi dignitate præfulgeant, etiam patriarchali, dogmata, nisi Synodali calculo, & votis reliqvorum Patriarcharum constabiliantur, inter alia dogmata non admittere. Clamet Constantinopolitanus, perstrepat Alexandrinus, tumultus conciter Antiochenus, reclamet Hierosolymitanus; deridiculo sunt Ecclesiæ Græcorum, si in unum omnes non conveniunt, dictaqve eorum, cum Patrum dictis & Ecclesiæ, non concordant.* Constat ergo, nullius Ecclesiæ, sive Latinæ sive Græcæ, fidem ex unius hominis confessione mensurandam esse. Secus si fiat, grande hoc ἄτοπον seqvetur, Græcos nempe ipsos, & Ecclesiam Græcorum hoc tempore, omnium, qvotqvot fuerunt in illa, hæresium labe fuisse adspersam; & æqve bene nunc vocari posse Arianam, Macedoniam, Nestorianam, Eutychianam, & qvid non? qvia similium hæresium autores Græci fuerunt, & apud eam Gentem in dignitate constituti. Sed ad domestica nunc descendamus exempla. Nonne Reformati magna se affici injuria conqvererentur, si qvis confessionem à *Mose Amyraldo,* Professore Theologo Salmuriensi de prædestinatione editam ostendere diceret, qvalis, in Ecclesiis Reformatis saltem Gallicis, doctrina vel ante vel post Amyraldi tempora fuerit recepta, cum non Batavi duntaxat, sed & Galli magno numero contradixerint, & nondum contradicere desinant. Novi Amyraldum non esse Patriarcham Gallorum, sicuti Cyrillus Patriarchali dignitate apud Græcos effulsit; syllogistico tamen robori suus constat nervus. Qvæ enim concludendi vis: Cyrillus in nostram ivit sententiam de absoluto reprobationis decreto, de spirituali corporis Christi cœlo alligati manduca-

duca-

kk) Literas Arsenii exhibet L. Allatius de P. C. L. 3. c. 8. n. 5. p. 1022. Eædem Decreto Synodali Parthenii præfationis loco præfixæ sunt, edit. Amstelod. 1645.

ll) in Dissert. de Eccl. Occ. & Or. P. C. in dogm. de Purgat. c. 3.

ducatione in Sacra Cœna; Ideo hæc dogmata amplectitur qvoqve Ecclesia tota Græcanica ? Aut missam faciant Reformati hanc argumentanti rationem, aut injuriam sibi fieri clamare desinant, cum *Bezæ*, *Piscatoris* & aliorum Supralapsariorum doctrina, qvæ Deum expresse autorem peccati constituit, pro communi Reformatarum Ecclesiarum agnoscitur. Nam qvæ privati Doctoris sententia, publicæ confessionis loco habenda est, hanc ita comparatam esse oportet, ut sine reprehensione ac contradictione publice recipiatur atqve toleretur: Ipsius etiam scribentis ea debet esse conditio, ut pro officii, qvod sustinet, ratione non tam suo qvam fidei suæ commissorum nomine, unum aut alterum religionis caput in publico scripto exponere cogatur. Neutrum horum de Cyrillo Lucari probari poterit unqvam. Qvare concedant nobis Reformati Cyrillum, etsi Græcum, etsi Patriarcham, Græcam non esse Ecclesiam; & vicissim eam demum sententiam verissime Græcis tribuendam esse, qvæ vel in Synodo Generali enunciata, vel communi Græcorum calculo recepta est. Qvæ enim Synodicorum decretorum apud Græcos autoritas sit, qvamqve sine iis nihil firmum aut ratum in articulis fidei habeant, vel unius *Germani* Patriarchæ C.P. vox edocet: *Ἄνευ οἰκουμενικῆς συνόδου, ἔγγραφον πίστιν οὐκ ἐντίθεμαι*: (*Sine generalis Concilii autoritate, nullum religionis dogma scripto committo mm*) Qvi unus aries satis fuerit concutiendæ Reformatorum cum Græcis concordiæ, unius Cyrilli, cujus reste tandem fauces præclusas esse historiæ testantur, confessioni superstructæ. Nam si Ecclesiæ Græcæ mens, uti nos *Allatius* supra docuit, ex enunciato in Synodo Generali facto rite recteqve æstimatur; sine generali autem Concilio, dicente *Germano*, nullum religionis caput scripto committitur, omnino seqvetur, Græcos in Prædestinatoria & Sacramentaria hæresi, cum Reformatis si unqvam consenserint, de utroqve statuisse qvidpiam in Concilio Generali, ex cujus decretis in summa veneratione perpetim futuris, communis Ecclesiæ Græcæ calculus indagari facili negotio potuisset. Nunc cum adversa pars talem Synodum ne nominare qvidem possit, pronum est inde concludere, absolutum reprobationis decretum, & nude

dum, qvam alterum illud novorum Methodistarum, *Conterii*, *Veronii* ac similium minutorum atqve musteorum Sophistarum est, dum impudentissima audacia non eorum tantum, qvæ ex fidei nostræ sensu statuimus ac defendimus, sed aliorum etiam dogmatum, qvæ improbamus ac rejicimus, disertissimam probationem totidem Sacrarum literarum apicibus & syllabis contentam & expressam efflagitant. Nobis impræsens ad hoc, ut rejectionem Sacramentariæ & Prædestinatoriæ doctrinæ, ad Ecclesiarum Græcarum palatum esse demonstremus, sufficit, qvod illam hactenus contrarium sancivisse, & suum à veritate dissidium comprobasse, neqve ab Hornbeekio neqve ab Hottingero annotatum uspiam fuerit. Qvid vero ad plenissimam veritatis defensionem supererit, ubi vicerimus Græcos Generali Synodo suam à Sacramentaria hæresi dissensionem testatos esse. Est hæc tum antiqvitate, tum autoritate maxime veneranda *Nicæna Synodus*, qvæ confitetur in sancta Mensa κεῖσθαι poni seu jacere non modo panem & vinum, sed & ipsum agnum DEi, qvatenus corpus & sangvis ejus ἀληθῶς sumuntur. Taceo nunc alias particulares Synodos, in qvibus Græci veram & realem corporis Christi in Sacra cœna præsentiam & admittunt & credunt, & calculo atro dissentientes notant. Formulam Græcorum, qva accessuros ad cœnam minister acclamabat, Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας, *Sursum Corda*; & ad hoc respondebat populus, Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον, Calvinus eqvidem suæ vult inservire heterodoxiæ, qvasi hac jussæ fuerint hominum animæ ad infallibilem corporis Christi in cœlo residentiam sese attollere. Sed magis orthodoxam ejus declarationem exhibet nobis *Chrysostomus*, *nn*) Vir ob auream oris facundiam maximum in Ecclesia nomen indeptus: *Monemur hac*, inqviens, *formula, ut omnibus terrenis cogitationibus, curis, occupationibus, & vitiis depositis, pura mente tum donatoris, tum doni magnitudinem considerantes ad participationem mysteriorum divinorum accedamus*: Addit ibidem: *Actionem mysterii hujus facere, ut terra nobis sit cœlum, qvia id, qvod pretiosum est in cœlo, tunc in terra sit propositum.* Itaqve hinc omnium liqvidissime patet, orthodoxam nostram de orali corporis Christi in cœna vere præsentis manducatione sententiam, Synodi Generalis atqve Patrum Græcorum suffragio munitam, Ecclesiæ Græcæ meliori jure qvam Zwinglianorum heterodoxam tribui debere *oo*) In qva vero Synodo absolutum reprobationis decretum à Græcis fuerit rejectum, non est cur inqvirendo

nn) Homil. XXIV. in cap. XI. prior. Ep. ad Corinth. p. 174. edit. Veronens. anno 1529.
oo) vide omnino B. Höpfnerum Tract. Theor. de S. Cœn. sect. I. art. 2. c. 3. §. 5. p. 63. seqq.

rendo nos nimium fatigemus. Adversarii prius nobis ostendant Synodum, in qva monstrosum, horrendum, informe, maximeqve impium hoc dogma communi omnium Orientalium Ecclesiarum suffragio fuerit sancitum. Nam si *Edvini Sandis*, Eqvitis Anglicani doctissimi, relationi fidendum est, Ecclesia Græca istam Calvini sententiam abominatur velut Bonitati divinæ è diametro repugnantem. Cæterum si qvis adversæ partis contendere pergat: *Illa Calvini & Zwinglii placita, priorum ætatum hominibus Græcis forte ignorata, nostro demum seculo ab Orientalibus Ecclesiis vel omnibus, vel qvam plurimis pro veris agnita atqve recepta fuisse*, hunc jure insanire putamus. Nam qvomodo Græcos omnes, vel saltem plurimos, ita occæcatos ac mente perditos esse persvadebit, ut valere jussis antiqvis dogmatibus nova qvædam & absurda in locum illorum vel ipsi inducerent, vel sibi ab aliis obtrudi paterentur? Aut qvis credat, unius hominis nutu, atqve illius qvidem neqve gratia plurimum apud Græcos, neqve autoritate valentis, utpote Patriarchali dignitate non semel exuti, tandemqve morte violenta misere trucidati, tantos repente motus in Græcia excitatos, & avitam religionem funditus pessundatam esse? Aliud jam pridem patuit ex publica harum Ecclesiarum censura adversus illam hæresi Calviniana adspersam confessionem in duabus Synodis per *Cyrillum Berrhœensem* & *Parthenium* Cyrilli Lucaris in throno Patriarchali successores anno seculi currentis XXXIX. & XLII. promulgata. Et licet Hornbeekius æqve ac Hottingerus in convellenda utriusqve Synodi autoritate valde laborent: Riveto qq) etiam *fictæ latrocinalesqve Pseudo-Patriarcharum Synodi* hæ vocentur; cur tamen illorum nos conviciis atqve dicteriis qvicqvam moveri patiamur, nihil causæ videmus, qvi novimus utramqve Synodum legitime coactam, liberrimis Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, & reliqvorum Sacerdotum atqve Monachorum complurium subsignationibus munitam; *Rivetum* autem, *Hornbeckium* & *Hottingerum* in Patriarchas illos infenso fuisse animo, non a-

tam adversæ partis causam funditus evertunt, censuras, inqvam, & anathematismos, sub finem orationis meæ verbotenus vobis recitem. Et primo qvidem Cyrilli *Calvinismum* altera sub Parthenio celebrata Synodus rr) ita impetit: *In tertio capite Cyrillus Deum facit iniqvissimum, tyrannica potestate utentem, ajens, eum solâ sua voluntate alios prædestinare ad gloriam, alios in pœnam mittere, nulla fidei aut operum habita ratione. Qvo qvid magis impium proferri possit!* Sic in priori Synodo Berrhœensis ss), *Cyrillo dogmatizanti & credenti, qvosdam ante constitutionem mundi DEum elegisse in gloriam, alios sine ulla causa repudiasse, anathema dicit.* De Cyrilli autem *Zwinglianismo* illa Parthenii verba sunt audienda: *Divinam eucharistiam Cyrillus ita convellit, ut nihil ipsi aliud nisi nudam figuram relinqvat, qvasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. Negat enim, eum, qui videtur & comeditur, panem jam sanctificatum esse verum Christi corpus, sed spiritualiter tantum intellectum aut potius imaginando fictum, qvod omni impietate plenum est. Neqve enim dixit JEsus: Hoc est figura corporis mei; sed, Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus.* Et in altera Synodo Berrhœensis uu) huic impietati os ita præcludit: *Cyrillo credenti, Corpus Christi non esse, qvod in S. cœna accipitur, ut transgressori certissimorum Spiritus oraculorum, & ex spontanea malitia Christum θεάνθρωπον & Paulum usqve in tertium cœlum raptum non audienti dicentem:* Accipite, manducate, hoc est corpus meum, & bibite ex hoc omnes, hic est sangvis meus: *ad hæc Ecclesiasticas CCCXVIII à DEo & Spiritu Sancto afflatorum in Nicæa Patrum diatyposes; & insuper concordem Spiritus legem à magna S. VII. Synodo latam aspernanti, anathema.*

Jamqve tota ruit consensionis Reformato-Græcanicæ, cui tantopere adversarii confidebant, Acropolis, diroqve graviqve Græcarum Ecclesiarum per Parthenium & Cyrillum Berrhœensem vibrato fulmine, in cineres atqve pulveres, imo in nihilum redigitur. Fuit Ilium & ingens Gloria Teucrorum! Fuit *Confessio Cyrilli Lucaris*, qvamdiu sub modio abscondita Græcas Ecclesias lateret, hæresens Prædestinatoriæ & Sacramentariæ turris admodum fortis, & ingens *Zwinglii* atqve *Calvini* Gloria!

Tuum verò nomen, o DEUS, bonitate optime, potentia maxime, qvi nos in Ecclesia verâ & orthodoxa ab omnibus tum Zwinglii tum Calvini erroribus libera constituisti, est & manet in æternum turris fortissima: Ad ipsum currit justus, & exaltabitur. Tu Pater æterne cum Filio & Spiritu S. qvi nostram orthodoxiam contra impetus adversariorum sub umbra alarum

rr) edit. Amstelrod. anno 1645. f. 119.
ss) p. 71.
tt) Ib. p. 119.
uu) Ib. p. ...

larum tuarum protegis, atque tutam præstas, & hostibus nominis tui saniorem mentem inspirare, Græcos etiam, & alios errantes ad antiqvam & Apostolicam veritatem, qvam nos unice profitemur, revocare potes, Tu, inqvam, solus dignus es accipere gloriam, & honorem, & virtutem, & sapientiam, & fortitudinem: qvia magnifica sunt opera tua, Domine. Omnia sapientissime gubernas: plena est terra, plenum mare, plena sunt omnia bonis & gloria tua. Tibi, æterne & summe DEus, à qvo, per qvem & in qvo sunt omnia, accepta esto publica hæc gratæ mentis contestatio, tum pro inexhaustis omnibus aliis beneficiis tuis, Ecclesiæ, Reipublicæ, Academiæ, & cuivis nostrum exhibitis, tum pro novissimo illo, qvo me labiis pollutum, & verius Propheta tuo infantem, hodie veritatis tuæ cœlesti vindicem, & juventutis ad illam ductorem esse voluisti atqve constituisti. Qvis ego sum, Domine, qvem in hanc sortem evexeris, aut qvæ vires meæ, ut tantum onus exiguis hisce humeris sustineam? Nempe & ex ore lactantium gloriam hauris tuam, tuumqve immensum robur, in maxima etiam imbecillitate exeris. Dabis ergo Trinune DEus, ut Spiritu tuo plenus & gratia tua roboratus opus meæ commissum industriæ & auspicato exordiar & alacriter perseqvar, & feliciter aliqvando pertexam. Benedicito Academiæ, benedicito Ecclesiæ! Fac ut illa hujus semper seges, hæc illius vicissim decus sit ac gloria, atqve utraqve usus afferat Reipublicæ uberes atqve perennes. Conserva eos, in qvorum salute nostra vertitur, *potentissimum Electorem Saxoniæ, Serenissimos Reverendissimosqve Principes Fratres* (qvorum jussu non modo Græcas per hos XIII. annos docui, sed & sacras deinde literas docebo impigre) *Dominos & Nutritios nostros indulgentissimos* cum *Celsissima Domo sua* salvos & incolumes. Sit beata diu Respublica tantis Principibus, Academia tantis Nutritiis, Ecclesia tantis Antistitibus! Sint illi pupilla oculi tui! Sint Germanæ gentis delicium, subditorum amor, terror hostium! Sint Ecclesiæ Vindices, sint veritatis firmamentum! Tuere *maxime Reverendum Theologorum hic assi-*

qvi inculcandæ illi proferendæqve præclarisſimam navent operam. Egregium vero *Studioſorum*, Literatorum omnium, præcipue *ſacris deſtinatæ Juventutis* cœtum nec in precibus ſuis, nec in ſtudiis deſtituito tui Spiritus influxu gratioſo atqve efficaci. Præprimis etiam custodi *pulcherrimam hanc civitatem* cum *Ampliſſimo Nobiliſſimoqve ſuo Senatu, Civibusqve florentiſſimis*, ut augurio votoqve pio Melanchthonis Muſarum hoſpitium ſit perpetuum. Nos omnes eodem veritatis, pacis, Spiritus tui vinculo colligatos implexosqve tene, & identidem ſalutaribus verbi ſui monitis inſtrue, ne in animum qvidem noſtrum unqvam inducamus, purioris doctrinæ corruptelas vel etiam manifeſtos damnatosqve errores fuco qvodam commendare, disſimulare aut occultare: Hanc vero concordiam ex animo diligamus, & toto pectore amplectamur, eamqve pro virili promovere ſummo ſtudio cupiamus, qva DEo honor ſuus illibatus ſervetur; veritati Evangelicæ nihil decedat, nulli etiam falſo dogmati locus concedatur, peccatores ad ſeriam pœnitentiam invitentur, perturbatæ mentes fide erigantur, *in obedientia* nova confirmentur, atqve adeo per unicum Chriſti meritum juſtitiam veram ac ſalutem æternam conſeqvantur. Adſis nobis *DEus Pater*, qvi es immenſa gratia! adſis nobis *Jeſu Fili*, qvi es immenſa ſapientia! adſis nobis *Sancte Spiritus*, qvi es immenſus amor! & conſtabit gratiæ, ſapientiæ, & amoris officina noſtra: imo nos in Te ſtabimus, in Te victricibus coronis triumfabimus, Sancta Trinitas, Summa Unitas, Benedicta Æternitas!

A M E N.

PRO-